Beckman politic. pa rallel. cap XVII p. 441.

Philippus Mel. Solum tandem, placidae ad Coelestia emigrationis beneficium, languenti (ac titubanti) animo suo solaminis loco statuit, verbis hac tabula, quam post mortem ejus inter chartas invenerunt, comprehensis:

Noli metuere mortem.

Quia	Quia
Liberaberis à peccato,	Venies in conspectum Dei,
Ab omnibus aerumnis,	Et ibi disces arcana Mysteria,
À Tyrannide Diaboli,	De Deo, quae in hac vita
A Rabie Theologorum.	Assequi non potuisti.

Es soll zu Wittenberg ein der ~~Doctor Urbanus~~ ~~Piernus~~ bitter(ter)/Muesig nebmischen gesagt haben: Er wolle lieber mit Philippo in den Hölle, als mit Luthero in den Himmell fahren. Frimel in Wittenberga liberata pagin. m. 73.

Inciderunt vivo Philippo controversiae post Lutheri obitum duae, una inter Westphalum Hamburgensem Pastorem, et Johan. Calvinum altera inter doctorem Albertum Hardenbergium Bremensem Pastorē et ministros Ecclesiae orthodoxae in Saxonia. In priori controversia, petierunt publico scripto Saxonici Theologi, ut Philippus testificatione saltem suā declararet, se non esse addictum Calvini opinionibus. Petiit Calvinus ne taceret Philippus, imo tacentem increpavit, et ad Saxones scripsit si Philippus suae sententiae non adstipularetur, se libenter cessurum esse Westphalo: Sed ne sic quidem ad categoricam, et publicam sententiae suae declarationem, adigi potuit Philippus. D. Nicolaus Selneccerus in Recitationibus suis Lipsiae Anno ~~[illegible]~~ M.D.LXXXI. in Quarto editis. pagin. m. 8. Vide tamen Philippi declarationem appositam in fine Examinis Germanici Ordinandorum, quam opponendum putat Selneccerus, dict. loco omnibus adversariorum vociferationibus, et gloriationibus de nescio quibus privatis furto partim ablatis partim extortis, aut aliis fraudibus, fideque malā undiquaque compilatis epistolis, quarum auctoritas nulla esse potest, cum publica scripta, eaque verba, quae Philippus praecipuo suo libro Corpori nimirum Doctrinae, post finem inseruit, et epistolii ejus auctoritatem planè enervant.